



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

§ 7. Idem Abbas in causis ciuilibus & temporalibus soli Cæsari subijcitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

III. sub Num. 18 & aliorum. Exstat etiam Diploma Henrici III. sub Num. 24. quibus Abbati soli conceditur confiscatio bonorum eorum, qui capitibus damnantur ob furtum, latrocinium &c.

Ex suprema hac Iurisdictione emanat quoque potestas illa decernendi in tota ditione Maximiniana mensuras, vinas, pondera &c. quæ omnes inferiores curiæ à supremo Abbatis Tribunali accipiunt.

Eodem pertinet, quod edita Imperii siue in Comitibus Imperij, absente nunquam Abbate, sancita, siue à Concilio Aulico vel Cæsarea Camera emanata semper immediatè transmissa sunt ad Abbatem subditis publicanda, ut plurimis documentis ostendi potest, & nominatim posteriorum Imperatorum Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. & consequentium mandatis, quæ in Archiuo nostro hodieque in Originali exstant: utpote de Friderico Saxonix Duce constituto per Germaniam Cæsareo Vicario dum Imperator Coronationis causa in Italiam pergeret. Item, ne quis militet Regi Franciæ & Carolo Egmondano: de non educendis equis in Italiam & Franciam: de modo in negotio Religionis obseruando vsque ad Concilium Generale. De non tolerando iterato Baptismo & Anabaptistis: De non tolerandis militum conscriptionibus in Imperio sine licentia Cæsaris, deque Germanorū militia apud exteros: de grassatoribus siue peditibus, siue equitibus in Imperio compescendis &c. Sic quoque Camera Imperialis Anno MDXXI. Abbati eadem transmissit pacis profanæ (*des Landfriedens*) articulos, vna cum constitutione de successione Nepotum publicanda in Maximiniano Territorio. Quibus innumera similia habemus, quæ coram Tribunali Cæsareo exhibita & recognita fuerunt, ita ut ijs enumerandis inhærere superfluum sit.

### *S. 6. Territorium S. Maximini à Treuirensi est separatum.*

Iurisdictioni præfata suum quoque respondet Territorium, quod habuit semper Abbas S. Maximini proprium, proprijs legibus gubernatum, omnimodè diuersum à Territorio Archiepiscopi, planè prout solent, qui sibi inuicem non subiiciuntur, & proprias omnimodèque discriminatas Respublicas constituunt: vnde & in Priuilegio Conradi *Salici* sub Num. 21. fit mentio expressa *Pradij S. Maximini*, & in Priuilegio S. Gregorij II. Pontificis sub Num. 2. *Allo-dij S. Maximini*. Namque initio Abbatia S. Maximini non in fundo S. Petri, seu Ecclesiæ Treuirensis, ut spargit Scriptor anonymus ex fundamento quod infra nullum esse ostenditur, sed in fundo Imperij, atque etiam in Palatio Imperatoris constituta est. Qui fundus & habitatio ita appropriata est Maximinianis ut Constantinus Magnus, *alteri persona noluerit eam habitationem subdere, nisi sua Successorumque Imperatorum potestati*, ut habent verba Dagobertini Diplomatis Num. 1.

Similiter succedentes Imperatores Romanique Pontifices vocarunt Monasterium hoc, *Imperialem familiam*, ut habet Otto M. in Rauennatensi Diplomate, sub Numero 15. *Regalem & Publicam Abbatiam*, ut habet idem Otto in Ingelheimensi sub Numero 15. *Regalis Abbatie familiam*, ut habet Henricus NIGER sub Numero 24. *Regalem locum*, ut habet S. Gregorius II. Papa in Romano sub Numero 2. & Ioannes XV. in Romano sub Num. 17. *Regalem seu Regiæ Dotis Abbatiam*, ut habet Otto MAGNVS in Romanis sub Num. 11.

& Hen-